

# FRANCISCI RV EI

## De Aetite. Cap. XXIII.

**A** Etitæ quatuor genera refert Pli-  
nius, vulgato tamen nomine sin-  
guli, Aquilæ lapides vocantur. Vidi e-  
go cinereo colore Aëtiten, alterū al-  
bo, tertium pullo. Sonitu dignoscun-  
tur si quatiantur: tum enim in sese cō-  
ceptum lapillum manifestè produnt.

Genera.

Probatio.

Delineatio

Lapis est cortice duro, scabro & mini-  
mè leui. Sunt qui aquilam in nido ma-  
rem & foeminam habere adstruūt, ne-  
gant quæ illam sine eis oua parere: idcō-  
que solis ijs quæ è nidis eius alitis eru-  
tæ fuerint vim medicam concedunt.  
Nihil igne hic lapis deperdere credit.

Virtutes.

Porrò Aëtites grauidis, quæ ob vteri  
imbecillitatem foetū ægrè continēt,  
brachio sinistro alligatur magno ea-  
rum vsui, parturientibus autem bra-  
chio amoueri debet: foeminibus item  
alligata citra dolorē (notatu dignū)  
foetum dicitur extrahere. Nec desunt  
qui hanc velint statim à partu auferri,  
ne vterus sequax partum vitiet. Mirū  
quòd